

1570

mam ex ipsorum adventu lætitiam significandam attineat , prætermittit . A nostra classe , quæ in binas deducta partes ingentium alarum speciem præbebat , inter sclopporum , ac tormentorum ( quorum horribili fragore propinqui montes , ac maria resultabant ) salutationes , militaresque plausus excepti , in portum deducuntur ; nullumque officii genus , quo testata in eos publica existimatio , ac benevolentia innotesceret , nostri reliquere . Nam Zannio imperatori Senatus præceperat , Columnæ , uti Pontificis præfecto , loco cederet ; Auriam , si velle sibi sumere id animadverteret , ne magnos rerum orsus levissima ex causa interturbaret ac perverteret , anteferret . Ceterum , quod ad consilia capienda spectaret , eorum sententiis perquisitis , quidquid e Republica videretur , ipse decerneret . Verum Columna , ut Zannio præiret , vix adduci potuit ; Auria ne tentavit quidem .

Dum hæc fiunt , meliore anni parte ad res militares per tractandas bellico apparatu , classe farsienda , sociorum auxiliis expectandis insumpta , hostibus tantum temporis relictum est , quantum ad res eorum componendas , expeditaque consilia capienda suffecit . Selymus , qui , Meheme ac Mustapha suadentibus , de sua in Cyprum profectione sententiam mutaverat , Mustapham cum summo totius belli imperio terrestribus expeditionibus præfecerat : maritimarum rerum curam Piali , qui secundum a Mustapha dignitatis locum obtinebat , tribuerat : Hali ductandæ classis munus injunxerat . Erat is e Janizzerorum præfecto , quem Agam Turcæ vocant , ad maris præfecturam , Meheme suffragante , sublatus ; qui Piali infensus , ut ei honos ille a Selymo adimeretur , auctor fuerat , quod tantam in uno viro auctoritatem , ut inter purpuratos esset , & præfectus maritimus haberetur , minime tutam diceret . Haud multis interjectis diebus Mustaphas cum tremitibus quinquagintaquinque , ac imperatoria quinqueremi , quam superbe adornatam , regioque apparatu instructam discendi perhonorificæ significationis ergo Selymus detulerat , Pialim est subsecutus . Eubœam delati , Rhodum inde petiere . Ibi per speculatorum de Venetæ classis statu , quæ acerba lue afflcta Jaderæ detinebatur , deque Hispanorum cunctatione edocti , nihil ultra timendum rati ,

cum

Mustaphas  
terrestribus  
copiis a Se-  
lymo præfi-  
citur .  
Piali mari-  
timarum  
rerum , Ha-  
li ductan-  
de classis  
cura man-  
datur .